

The Liber Pharetrae Project

Liber 3: De periculosis Caput 17: De carnalitate (7)

Idem (Bernardus), in *Apologia*:

Ista charitas destruit charitatem;
haec discretio discretionem confundit;
talis misericordia crudelitate plena est:
quia
videlicet ita corpori servitur, ut anima
juguletur. Quae etenim charitas est
carnem diligere, et negligere spiritum?
Quae discretio totum dare corpori,
et animae nihil? Qualis misericordia
ancillam reficere, et dominam interficere?
Nemo pro huiusmodi misericordia speret
se consequi misericordiam.

Ista caritas destruit caritatem,
haec discretio discretionem confundit.
Talis misericordia crudelitate plena est,
quia
videlicet ita corpori servitur, ut anima
juguletur. Quae etenim caritas est,
carnem diligere et negligere spiritum,
quaeve discretio, totum dare corpori
et animae nihil. Qualis vero misericordia,
ancillam reficere et dominam interficere?
Nemo pro huiusmodi misericordia speret
se consequi misericordiam,
quae misericordibus promittitur
in Evangelio, Veritatis ore dicentis:
BEATI MISERICORDES, QUONIAM IPSI
MISERICORDIAM CONSEQUENTUR;
sed certissime potius poenam exspectet,
quam tali, ut ita dicam, impio misericordi
sanctus Iob magis prophetando quam
affectando imprecatur: NON SIT, inquiens,
IN RECORDATIONE, SED CONTERATUR
QUASI LIGNUM INFRUCTUOSUM.

Bernardus Claraeuallensis, *Apologia ad
Guillelmum abbatem*, 16 (SBO 3, J.
Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais
eds., p.95, ll.14-25).